

## SATYRA IV.

## P E R E G R I N A N T E S

Haec quoque stultiae accessit pars magna recenti,  
 Maecenas, longo et radices egit ab usu,  
 Imberbes pueri quod vix custode remoto  
 Trans mare mittuntur, multasque jubentur adire  
 Gentes, et peregre multas errare per urbes. 5  
 Nempe ubi vix Sophiae, atque opera est navata Mathesi,  
 Lineolaeque omnes, numerique, et calculi, et omnis  
 Formula ubi aequandi percursa est, atque ubi abunde  
 Barbara verborum est, atque importuna supellex  
 Collecta ad speciem, et linguae mandata volucri; 10  
 Ocyus implumis Sophiae de nidulo alumnus  
 Evolat, et caelum sublimi vertice tangit.  
 Materna in pluma, et Laribus si forte paternis  
 Doctorum repetendo imitetur verba Sophorum,  
 Radices, blateransque cubos, quadrata rotundis 15  
 Miscens, cumque acido et fixo gas aere jactans,  
 Psittacus humanas sic reddit gutture voces,  
 Et nostro infelix laudatur Simia gestu.  
 Jamque age, rumpe moras, puppim concende paratam,  
 Fortunate puer: contraria littora carpe, 20  
 Mutatoque animum veterem simul exue caelo,  
 Atque alias, meliorque redi. Ne parce labori  
 Interea, et gentes properas dum visere, et urbes,